



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. III. Vtrum ex Fide à nobis afferta, procedere possit amor Dei super omnia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

principijs vt postea ostendam : Nam rusticus necessario debet suum amorem restringere ad illud solum tempus, quamdiu non enervatur auctoritas parochi : nam hac enervata ; jam Deus non proponitur amplius rustico vt finis supernaturalis : ergo non potest se extendere amor rustici ad illud tempus, quo enervaretur auctoritas parochi. Vno verbo, ex terminis est absurdum dicere, hunc esse perfectum Dei amorem, qui diceret : Amo te vt finem supernaturalem super omnia, *quauis vi meorum motivorum possis in ratione finis supernaturalis esse chymera, quia parochus potest fallere & falli.*

263. Hoc argumentum non vno modo enervabile est. Primo hoc argumentum involvit implicanciam in terminis. Fatentur adversarij, posse à parcho proponi Deum vt finem supernaturalem super omnia amandum, quin tamen Deus infundat discerniculariam illuminationem, nec enim, inquit, est Deo imposita necessitas illam infundendi semper, sed quando vult, spirat Spiritus. vltius docent, quod etiam absente tali discerniculo rusticus obligetur credere parcho saltem fide naturali & humanâ ; hoc posito, quæro, quando rusticus tunc credit parcho, se esse obligatum ad amandum Deum super omnia, an possit velle satisfacere huic obligationi : vtique : neque enim datur obligatio ad impossibile. atqui est per adversarios impossibile, tunc velle Deum amare super omnia, quia est impossibile eum amare velle pro tempore, quo enervaretur auctoritas parochi : præterea talis amor amaret Deum sub illis absurdis terminis in objectione propositis : ergo est amor impossibilis : quomodo ergo rusticus tunc obligatur credere parcho, se esse obligatum ad amandum Deum, etiam pro casu quo cognosceretur esse chymera ?

264. Secundò, Quia etiam admissis mille Discerniculis totum Argumentum procedet : Quæro enim, an Rusticus habito Discerniculo extendat suum amorem, & suam voluntatem amandi, etiam ad illud tempus, quo oblitus sui discerniculi, & solum memor propositionis parochi, vel etiam huius immemor esset : negabunt vtique, sed cur : quia tunc est impossibile amare Deum, cum non proponeretur motivum amandi. Ita est : hoc ipsum ego respondeo pro me : ideo non potest nec debet se amor Dei extendere ad illum casum, quo enervaretur auctoritas parochi, quia tunc non haberet motivum amandi, sicut non debet se extendere pro casu & tempore quo dormio. Nunquid hæc est evidens paritas ? Vides ergo, quod in ordine ad extensionem, & revocationem amoris, tam sit enervabile tuum Discerniculum, quam auctoritas parochi, & tam sit inenervabilis auctoritas parochi, quam tuum Discerniculum ? Ratio est clara, quia auctoritas parochi vt movens rusticum, includit intrinsecè absentiam enervationis, sicut Discerniculum debet esse in memoria, ergo sicuti per oblivionem tollitur discerniculum, ita per enervationem auctori-

tatis parochi, tollitur motivum rustici. Aliud ergo est, enervari motivum rustici, & aliud, enervari auctoritatem parochi : Motivum rustici per enervationem parochi potius tollitur, quam enervatur, quia tollitur vna pars illius, sicut per oblivionem tollitur, non enervatur tuum discerniculum : quodsi velis motivum rustici enervari per ablationem partis, ego dicam multò magis enervari tuum discerniculum per oblivionem, quæ est ablatio totius.

265. Falsa est ergo Major propositio argumenti, cuius falsitas adhuc pluribus exemplis ostendi potest. Subditus rectè dicitur amare suum Principem super omnes homines suæ patriæ, etiam si non extendat hunc suum amorem ad illud tempus, quo enervarentur ejus argumenta, ob quæ credit, eum esse legitimum principem. Qui habet probabilia signa suæ prædestinationis, amat prudentissimè Deum vt suum Prædestinatorem super omnia : & tamen hic amor non extenditur ad tempus & casum, quo illa signa enervarentur. Potest item quis amare Deum super omnia propter hoc, quod Beatissimam Virginem exceperit à communi lege peccati originalis : & tamen hic amor non se extendit ad casum, quo ab Ecclesia contrarium definiretur. Quid multis ? Nullius hominis amor extendit se ad illud tempus & casum, quo ipse esset ponendus in inferno, & moraliter necessitandus ad blasphemandum Deum. alioquin diceret postea amor : *Amo te Deus etiam pro illo casu, quo certus sum quod te non sim amaturus.*

266. Quod in objectione addebatur de Chymera, est argumentum ad terrendos discipulos. Rusticus non ita nugatur, sed sic dicit. *Amo te, Deus, quia mea motiva ita suadent te esse super omnes creaturas amandum, vt non nisi stultè & imprudentissimè agerem, si vellem dubitare, an sis chymera, cum in hoc nulla probabilitas appareat, e contra mea motiva sint mihi instar motivorum cuiuscunque scientiæ.* Et sic tandem expedita sunt omnia argumenta Discernicularia.

Ex hæcenus disputatis Concludo, Rusticorum fidem, cæteris paribus, ex eo capite, quod eorum motivum proximum & immediatum, nempe auctoritas parochi, sit enervabile, esse majoris meriti, quam fidem Sagacium, habentium motiva inenervabilia : quia magis arduum est assentiri cum tanta firmitate affectiva in priore casu, quam in posteriore ; nam per motiva inenervabilia faciliatur fides, quia magis propè accedit ad scientiam & evidentiam : adeo vt Pallavicinus ausus sit docere, fidem talibus motivis nixam, non esse liberam quoad specificationem, sed tantum quoad exercitium. Quapropter hæc fides appetitativè continetur in fide Rusticorum, qui enim paratus est assentiri propter motiva minus robusta,

est à fortiori paratus assentiri propter motiva robustiora.

CON-